

Harvard University
Department of History
Latin exam, 29 August 2014

Translate one of the following passages into good literate English. You may use a print dictionary but not the internet.

I. Savonarola commends himself to Pope Alexander VI after being excommunicated.

Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum,

Quomodo moerens filius super indignatione patris, omnem ad eum placandum viam aditumque flagitat et quaerit, nec ob ullam repulsam de solita pietate desperat, cum scriptum sit: *Petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis*; ita et ego plus ob interdictam Sanctitatis Vestrae gratiam, quam ob aliam iacturam sollicitus, ad pedes eius assidue confugio, supplicans ut tandem clamor meus in conspectu eius exaudiatur: nec me diutius suo ereptum gremio esse velit. Ad quem enim nisi ad pastorem velut oves ipsius accedam, cuius vocem et benedictionem audire gestio et imploro salutaremque praesentiam exopto? Iamque ad pedes eius procidissem, si mihi tutum iter ab iniquorum iniuria et insidiis patuisset. Quod quidem, ubi sine suspitione licuerit, me facturum propono et tota mente cupio, ut ab omni calumnia me tandem diluere possim. Interea in cunctis, ut semper feci, me illius maiestati humillime subiicio, et si quid per insipientiam aut inadvertentiam erratum est, veniam suppliciter deosco; nam malitiae apicem nunquam in me deprehendet.

Obsecro igitur, ne mihi benignitatis et clementiae suae fontem Sanctitas Vestra subtrahere dignetur, quem si semel suum agnoverit, non minus sibi devotum quam sincerum et omni tempore obsequentissimum servum experietur. Me Beatitudini Vestrae humiliter commendo.

Ex conventu Sancti Marci Florentiae, die decima tertia octobris MCCCCXCVII.
Beatitudinis Vestrae devotissimus filius et servulus Hieronymus de Ferrara,
Ordinis Praedicatorum.

II. Bede's Ecclesiastical History, 1.23. Pope Gregory sends St Augustine of Canterbury to convert the British.

Gregorius, uir doctrina et actione praecipuus, ... diuino admonitus instinctu anno XIII eiusdem principis, aduentus uero Anglorum in Britanniam anno circiter CL, misit seruum Dei Augustinum et alios plures cum eo monachos timentes Dominum praedicare uerbum Dei genti Anglorum. Qui cum iussis pontificalibus obtemperantes memoratum opus adgredi coepissent, iamque aliquantulum itineris confecissent, perculsi timore inerti, redire domum potius, quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cuius ne linguam quidem nossent, adire cogitabant, et hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora, Augustinum, quem eis episcopum ordinandum, si ab Anglis susciperentur, disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille

exhortatorias mittens litteras, in opus eos uerbi, diuino confisos auxilio, proficisci suadet. Quarum uidelicet litterarum ista est forma:

“Gregorius seruus seruorum Dei seruis Domini nostri. Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his, quae coepta sunt, cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi filii, oportet, ut opus bonum, quod auxiliante Domino coepistis, impleatis. Nec labor uos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguae deterreant; sed omni instantia, omnique feruore, quae inchoastis, Deo auctore peragite; scientes, quod laborem magnum maior aeternae retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino praeposito uestro, quem et abbatem uobis constituimus, in omnibus humiliter oboedite; scientes hoc uestris animabus per omnia profuturum, quicquid a uobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua uos gratia protegat, et uestri laboris fructum in aeterna me patria uidere concedat; quatinus etsi uobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inuemar, quia laborare scilicet uolo. Deus uos incolumes custodiat, dilectissimi filii.”

III. *Aurelio Lippo Brandolini, Republics and Kingdoms Compared, 1.6. King Mattyas Corvinus of Hungary explains how to keep an empire.*

Imperia igitur, ut cetera omnia quibus artibus parta sunt, iisdem retineantur necesse est; ubi hae sublatae aut amissae sunt, illa quoque paulatim collapsa intereunt. Sunt autem artes quibus maxima imperia et facillime comparantur et diutissime retinentur, meo quidem iudicio, duae foris, domi totidem: foris disciplina militaris et gloriae cupiditas; domi, iustitia et continentia. Nam prudentia quidem, tamquam omnium virtutum regula, ita est in omni vitae parte necessaria, ut abesse nusquam possit. His igitur artibus illae quas tu paulo ante memorabas nationes maxima sibi imperia comparavere; his Romani totum paene terrarum orbem in ditionem redigere. Nam, ut vetustissimos illos reges Tanaum Scytharum et Vesorem Aegyptiorum omittamus, qui plurimas et validissimas nationes militari disciplina et gloriae studio superavere, Romulus hac disciplina fretus avum in regnum restituit, urbem condidit, finitimos debellavit, Martem sibi parentem vendicavit, adeptus denique rebus humanis hanc unam disciplinam posteris omni studio colendam servandamque mandavit. Ad quae quidem audenda ac perficienda, singularis profecto gloriae cupiditas eum non modo incitavit, sed per singula quoque pericula intrepidum securumque perduxit. Successit huic, singulare ac prope divinum iustitiae continentiaeque exemplum, Numa Pompilius, qui civitatem legibus, caeremoniis moribusque fundavit. Quae quidem duorum regum instituta posteris diu ita servavere, ut nulla eos natio vel bellicis artibus, vel studio gloriae, vel domesticis virtutibus superaret. Quae enim gens disciplinis militaribus tantam umquam operam dedit? Quae gens in earum observatione tam diligens, tam severa umquam fuit? Quid enim sibi volunt aliud assiduae illae campi exercitationes, quid castra extra urbem commorantia, nisi ut tirones militari studio laborique assuescerent et veterani partam iam disciplinam consuetudine retinerent?